

sent; atque a Flaminia latere Julii exercitus modo Ari-
minum, modo Faventiam invasurus magnopere urgeret; ob ingentes autem tot tamque præsentibus in rebus factas
impensas pecunia rempublicam desiceret, quod profecto
malum omnium maximum plerisque videbatur: coacto
Senatu Lauredanus Dux auri libras decem mutuo se datu-
rum reipublicæ pollicitus, cives reliquos, quibus non de-
esse facultatem sciebat, idem pro se quisque uti facerent,
est cohortatus. itaque eo die posteroque plurimæ auri li-
bræ mutuo in ærarium collatae, eo metu civitatem libe-
raverunt. Tauriso deinde reliquiisque ditionis Venetæ lo-
cis, urbe excepta, restitutus est ab exilio Jacobus Col-
laltus (cujus exilii damnatus ob necem patrui fuerat) dum is in exercitu reipublicæ, quemadmodum quidem Pa-
tribus se obtulerat facturum, cum turma equitum cen-
tum menses quatuor sua pecunia militiam faciat. Erat
tunc in sermone civitatis haud modico Faventia: quo in
oppido detecta proditio fuerat Francisci Brixiani equitum
turmæ præfecti, deque eo pœna sumpta: oppidi enim por-
tam noctu Julianis se militibus aperitum cum eorum in-
terprete pepigerat, atque insigne Julianum cum queru-
aurea & coronis, quod in muris mane poneret, ab eo tra-
ditum domi suæ custodiebat. Illi autem, patefacta re, in
Faventia se fines intulerunt, ut oppidum montanum Bri-
sigeliam, cui civitas propter optimum genus militum ex
eo educi solitum magnopere confidebat, expugnarent:
jamque Tartarum Centurionem reipublicæ qui Brisige-
liam cum tribus cohortibus præsidii causa se conferebat,
insidiis positis interceperant: pauloque post cum oppidum
tormentis cinxissent, eo sunt potiti, prætore quæque cum
eo erat copia, & Joanne Paulo Manfronio equitum præ-
fecto magna virtute, qui tuendi oppidi causa eo cum pau-
cis equitibus per medios hostes se se inferens venerat, in
arcem se recipientibus: quos tamen omnes multis oppu-
gnatos præliis, arce etiam dejecta, captivos fecerunt: &
Faventia frustra tentata, in Ravennæ fines ad Russium
oppidulum oppugnandum se contulerunt.

Faventia
per proditio-
nem tenta-
ta.

Eas